

Dispvtationes Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Sect. 3. an actus liberi addant, aliquam perfectionem Deo intrinsecam
ratione saltem distinctam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](#)

volendi creare mundum, aut saluandi Petrum. Ergo voluntas divina distinguitur à parte rei ab illo actu libero. Ergo per illum actum liberum accedit Deo aliquid intrinsecum in re distinctum. Nam actus ille Deo intrinsecus est, ut ostendemus scđ. sequenti.

Solutio obiectio. Respondeo, ubi est simplex modifica-
tio, seu res scđ. taliter se habens, nō est
et vnum & aliud: neque esse duo, quorum
vnum possit esse sine alio: sed esse vnum
tantum taliter se habens per se formaliter
realiter, & nos per formam vlo modo di-
stinctam in re. Quod in multis evidenter
probari puto ijs argumentis quæ afferemus
locis supra citatis, præcipue in disputat.
5. de Incarnatione. Quare huiusmodi rei
simpliter modificata non verè conuenit
quod dicitur in maiori propositione, Ea
quorum vnum potest esse non existente alio. Ne-
que enim ibi sunt ea, id est, duo, quorum
vnum posse esse sine alio: sed est tantum
vnum quid, ita se habens formaliter realiter
per suam propriam entitatem. Ar-
gumentum autem propositum non est in
forma. Nam in minori subsumendum erat;
sed voluntas diuina & actus Dei liber sunt
ea quorum vnum potest esse, non existente alio.
Quæ minor falsa est, quia actus liber ni-
hil est aliud, quam ipsa voluntas simpli-
citer modificata, & per seipsum formaliter
realiter ita se habens circa obiectum
quod liber vult. Cum autem dicitur in
maiori argumenti propositioni ab Adversariis,
male fulcumpræ: *Arqui voluntas diuina po-
tuit esse non existente actu libero: abstracta il-
la, ad vitandum errorem, sunt resoluenda
per concreta, in hunc modum: Potuit esse
voluntas diuina, & non taliter se habere
ut se habuit circa mundi creationem, aut
Petri salutem: concedo. Potuit esse non
existente aliqua forma distincta, aut enti-
tatula, quæ sit actus liber volenti mundum
creare, ut Petrum salvare nego.* Eodemque
modo respondendum est his &
similibus propositionibus, quæ formantur
de modis: Potest esse quantitas sive exten-
sione: Potest esse res sine duratione: Po-
test esse corpus sine hoc vlo intrinseco,
&c. Debent, irrumam, hæc abstracta, quæ
impropriè usurpantur in tali materia, re-
solvi per concreta: Potest esse quantitas
& non taliter se habere ut sit extensa, id
est, habeat partes extra partes in ordine
ad locum. Potest esse res, & non permane-
nere in esse. Potest esse corpus, & non
implere scđ. hoc spatum, cui per seip-
sum realiter formaliter præsens est: est
enim impossibile ut sit præsens formaliter
per aliquid à se distinctum: sicut est
impossibile ut existat formaliter per al-
iquid à se distinctum. Quidquid enim a-
liud, quomodoquaque distinctum, ponatur
in spatio: non est corpus illi spatio
præsens, si ipsum in illo non est. Si autem
corpus in illo est, est illi præsens, circum-

scripto quoconque alio quomodoquaque
distincto. Quare evidenter superflua est
entitas, aut entitatula, vel modus in re
distinctus, ut per illum fiat formaliter præ-
sens. Quo eodem argumento, cum pro-
portione applicato, demonstratur eviden-
ter esse impossibile rem villam existere for-
maliter per existentiam à se distinctam.

SECTIO III.

*An actus liberi addant aliquam perfec-
tum Deo intrinsecam, ratione sal-
tem distinctam?*

IN hac grauissima difficultate variaz sunt
Theologorum sententiaz. Prima est Ca-
preoli in 1. Sententiarum, distinct. 45. Molin
q̄z. 1. articulo 2. Ferrariensis 1. contra
Gentes, capit. 75. & 76. Molin q̄z.
19. articul. 2. disput. 2. Bannis, & Cumel
ad eandem questionem articulo 2. Barthol.
Medinæ, Sylvestri, & alij Crum Thomis
tarum, affirmantium actus liberos nihil ad-
dere diuinæ voluntati, aut volitioni ne-
cessariæ, nisi relationem rationis ad obie-
ctum, in quod liber vult. Quæ opinio
si propriè loquatur de relatione rationis,
id est, de figura intellectus concipientis
esse relationem, quæ nec est, nec esse
potest, velutque Deum constitui forma-
liter libere volentem per huiusmodi fig-
mentum, est planè improbabilis. Etenim
Deus verè à parte rei, & nullo singente
intellectu, voluit libere ab æternō, quæ-
cunque voluit. Estque evidenter impos-
sibile Deum constitui volentem vitaliter &
realiter (sicut verè vitaliter & realiter
vult) per merum figuramentum rationis, id
est, per id, quod neque est, neque esse po-
test, sed concipiatur quasi estet. Deinde
ab æternō Deus voluit quidquid libere
voluit. Non fuit autem ab æternō intel-
lectus ullus crearis qui relationem illam
rationis fabricaret. Deus quoque non fin-
git entia rationis, sed cunctumque co-
gnoscit, sicut est. Cùmque cognoscit, se
libere velle, ratione prius est libere ve-
lle, quæ cognosci: aut saltē est ratio-
ne diuersum, neque formaliter constitui-
tur libere volens per hoc quod cognoscit
se libere velle. Cùm denique voluntas
Dei libera & efficax sit causa rerum, sive
immediata, ut aliqui volunt, sive potius
mediante omnipotencia quam applicat: in-
possibile est, actum illum liberum, esse me-
rum figuramentum rationis: quia figuramentum
rationis, quod verè nihil est, & neque est,
neque esse potest, non potest esse vera &
realis causa aliqui rei. Sin autem At-
tores istius sententiaz aliquid aliud intel-
ligunt, quam ens rationis propriè dictum,

puta fundamentum aliquod istius relationis quam fingunt: non facit id explicant, neque difficultatem expedient. Fundamentum enim illud non potest esse essentia diuina, vel volitus necessaria praeceps sumpta. Quippe quæ indifferenter & æqualiter se habet tam ad ea possibilia quæ non vult efficaciter, quam ad ea quæ vult. Quare si nihil aliud addatur, non est ratio cur concipiatur referri peculiariter ad hæc potius quam ad illa. Non potest etiam fundamentum illius relationis esse creatura: neque ut possibilis: quia alioqui id conueniret omni creature possibili, ac necessario conueniret: cui enim potius unum possibile fundaret hanc relationem, quam aliud, & vnde liberè fundaret vi suæ possibilis absolutè necessariæ? Non etiam ut futura, vel ut existens: quia quod sit existens, vel sit futura, habet ab actu libero Dei, tanquam à causa. Ergo actus liber est natura prior, quam creatura ut existens, vel ut futura. Ergo actus Dei liber non fundatur in creatura.

Secunda sententia est Alfreoli in 1. dist. 40. articul. 1. proposit. 1. & 2. & dist. 46. art. 2. proposit. 2. & 3. Vasquis 1. p. disp. 80. cap. 2. num. 8. Arrubal. d' sp. 54. cap. 3. Herice disp. 16. cap. 9. & sequentibus, qui ut tuncant duo, quæ non nisi difficilimè, aut nullo forte modo conciliari posseunt, videlicet, Actum Dei liberum potuisse non esse, in quantum liber est: & tamen nihil diuinum & in creaturam potuisse non esse: aiunt actum Dei liberum compleri formaliter per aliquid extrinsecum, nempe per denominationem sumptam à creatura, quæ aliter se habet, vel habigura est, vi actu necessarij prout ad illam terminati. Quæ denominatio, quia potuit non esse, quatenus creatura potuit non ita se habere: idcirco potuit non esse actus liber. Non quod potuerit non esse aliquid Deo intrinsecum, sed quia potuit non esse illud extrinsecum, quod adiunctum actu necessario & intrinsecō, compleat determinationem formalem actus liberi: & sine quo reliquum non habet rationem actus liberi.

Hæc opinio mihi displacebit & alijs communiter: primo quia scriptura expissime & constantissime prædicta Deum liberè velle: nec usquam Metaphoram indicat. Ergo debet intelligi propriè: significatque Deum propriè, non autem metaphorice solum & impropriè, liberè velle. Si autem propriè liberè vult, non constitutur formaliter voluntas per aliquid extrinsecum, tanquam partem actus liberi. Nam liberè velle, est se ipsum actum determinare, ac vitaliter tendere in obiectum: est autem impossibile, vt se ipsum determinet actus, ac vitaliter tendat in obiectum per aliquid extrinsecum. Estque manifestum in nobis, actus nostros vitales, sive liberè volendi, sive alios, esse ab omnino intrinsecos: & quamus tendant ad aliquid extrinsecum, velut obiectum;

non tamen per illud intrinsecè & formaliter constitui, ex toto, vel ex parte. Exempli gratiâ, actus liber amoris quo Deum prosequimur, tendit quidem ad Deum, ut ad obiectum: sed non est ipse Deus neque ex Deo formaliter & intrinsecè constitutus, ex toto, vel ex parte. Secundò, actus Dei liber, quæ liber, id est, secundum id quod adgit actu necessario diuinę voluntatis, est causa efficiens mutationis quæ est in creatura: adeoque est causa etiam denominationis in illa fundata. Ergo est prior natura talis mutatione & denominatione. Ergo non constitutur per illam formaliter & intrinsecè. Antecedens probatur, quia non iolus actus necessarius, præceps sumptus, est causa talis mutationis creaturæ, putat, futuritionis aut existentiaz aequalis: alioqui causaret illam in omnibus possibilibus ex ille. Nam actus ille necessarius est amor & complacientia circa bona possibilia, qui æqualiter & indifferenter respicit omnia possibilia. Vnde vi illius solius non magis exigit unum, quam aliud: sed ut unum præ alio existat, debet accedere volitus Dei libera & efficiens. Consequentia ergo patet, quia omnis causa vera, & realis ac physica, est natura prior suo effectu, illisque presupponitur quoad suum esse reale & physicum, tanquam id à quo pendet effectus. Ergo si actus Dei liber est causa mutationis creaturæ, ac denominationis, est natura prior illa. Ergo non constitutur per illam formaliter & intrinsecè. Implicat enim aliquid esse prius naturæ co ipso, per quod est id quod est. Tertio, non omnes actus liberi diuinæ voluntatis causant aliquam mutationem in creatura. Ergo non possunt actus liberi Dei universaliter per illam constitui formaliter & intrinsecè. Consequens est evidens. Antecedens probatur: quia exempli gratiâ, actus complacientiaz, quo Deus sibi complacet in bonis à se iam creatis, iuxta illud Ges. 1. Visit Deus curta quæ fecerat, & erant valde bona, actus inquam, ille nullam causat mutationem in creatura, ut manifestum est. Et alioqui abiretur in infinitum. Nam circa illud causatum à Deo, habet Deus alium actum complacientiaz: & sic deinceps. Et tamen ille actus est Deo liber, saltem absolute, quam est circa obiectum creatum existens. Item actus quo Deus voluit dare gloriam hominibus, si in gratia decederent, nullam ponit mutationem in plurimis, qui eam non assequuntur, defectu illius conditionis. Et tamen ille actus liber est. Idemque dico de alijs innumeris. Neque respondeas actum illum Dei esse causam cur Deus det media, & auxilia ad gloriam sufficiens. Respondeo enim Deum, ultra voluntatem dandi media & auxilia sufficientia, habere præterea voluntatem dandi ipsam gloriam, si per eos non staret: & illa, ut omnino distincta a præcisa à priori, est inefficax, nullamque ponit mutationem in creatura, ultra illam quæ per-

Non omnes actus Dei liberi causant aliquam mutationem in creatura,

B b 3

priorem voluntatem posita est.

Respondent aliqui gloriam illam aliter se habet, postquam est decreta sub conditione habet enim iam rationem futuri, conditio nati: quam non haberet sine decreto, manens in statu pure possibili. Sed dico rem non propterea mutari vere & realiter ac physice: cum tamen Deus vere realiter ac physice vult: sed tantum est aliquid mutatum iri realiter, si poneatur conditio qua non ponetur, sive que non fiet mutatio realis, id est, collatio gloriae.

14.
Impugna-
tur amplius
cum a ia-
sententia.

Plura contra hanc sententiam & superiorem congerit Ruis disp. II. quorum praecipua haec sunt. Si Dei volitus efficax & libera non est aliud, quam necessaria complacencia bonorum possibilium, addita relationis rationis, vel extrinseca denominatione, vel connotatione futurae productionis ad extra: similiterque si praescientia futurorum non est aliud, quam simplex intelligentia possibilium, addita relatione, denominatione, seu connotatione: sequitur quod diuinam praescientiam non posse falli nulla prouersus laus foret praescientia, neque perfectio illius: quoniam illius infallibilitas in eo formaliter atque praeceps consistet, quod relatio rationis, vel extrinseca denominatione, seu conformatio, non posset esse alia, nisi quae resultat a futuris actionibus. Quod si aliae futurae fuissent actiones: aliae relationes, seu denominations, aut connotations resultarent. Iteque nulla representatione futuritionis daretor in Deo, quae non posset a futuritione discordare: sed sola denominatio, vel relatio rationis, a futuritione resultans, est quae nos potest a futuritione discordare. Secundò, volitionis diuinæ absolute efficacia insuperabilis & inevitabilis efficacitas, quæ semper impletur, & quæ frustra nulla ratione potest, cuique nemo resistere potest, evanescit, & quod tantopere de illa prædicant scriptura & patres, vanum est & adulatorium. Si Dei volitus efficax non est ad ultimum effectum realiter determinata per increatam & immaterialiter determinationem. Sequela probatur, quia si talem determinationem non habet, est indifferens, quantum ex se est, ad viramque partem contradictonis, sicut est indifferens simplex complacencia omnium possibilium. Cuilibet autem volitioni prorsus indifferenti, quantum ex se est, & prout est prior operatione ad extra, nemo potest resistere impediendo quod vult facere: quia nihil determinate vult facere: Iam vero quando volitionem efficacem sumis, determinasque ad unum obiectum per relationem rationis, vel extrinseca denominationem, seu connotationem operationis ad extra: supponis eo ipso iam prius esse factam, vel futuram aliunde, quam operationem quam vult. Ideoque nulla est laus efficacitatis diuinæ volitionis, quia postquam supponitur operatio iam facta, vel futura aliunde: contra-

ditionem implicat eam non fieri, vel impediendi efficaciter ut non fiat.

Propter hæc argumenta ceteri Theologi communiter docent actum liberum Dei, ^{Actum liberum} sumptum integrè formaliter, esse quid reale ^{ti sunt in} malum: ^{quid res} intrinsecum Deo. Formaliter, inquam: nam obiectu potest aliquid extrinsecum ad ipsum pertinere, id est, esse obiectum ad quod voluntas libere terminatur, vel ad quod aetas eius intrinsecus liberè tendit. Ita Gregorius Ariminensis, Caetanus, Suares, Henriquez, Fonseca, Valentia, Salas, Albertinus, Cabrera, & alij, quos refut & sequitur Ruis disp. II. sect. 3. num. 6. vbi dicit cum omnibus illis Theologis, formaliter rationem liberæ volitionis in Deo esse perfectionem realem & increasam, totamque ab æterno ex parte Dei existentem: Ita ut eius integratas, aut constitutio, vel complementum, nullo modo includat denominationem extrinsecam ab obiectis creatis, nec relationem rationis ad illa: sed haec relatio, vel denominatio consequatur liberam Dei voluntatem, integrè, complete perfectè, constitutam. Chissis autem alij improbabilius, tres sunt præcipui modi, quibus explicatur à varijs Theologis liberum illud reale & intrinsecum.

Primus explicandi modus est Caietani: p. q. 19. art. 2. & 3. neg. non 3. p. q. 1. art. 1. aientis actum liberum Dei esse realem perfectionem liberam, quæ Deus potuit carere: quoniam cum habet, non est propterea perfectior intensius: quippe qui fecerit, totam illam perfectionem eminentissime ostendat in natura: sed extensu tantum. Salas Idem ferè docent Fonseca tom. 3. Meta-Henry physica lib. 7. cap. 8. q. 5. sect. 4. Licet ut verbo tenus à Caietano discedat, neget aetas liberæ Dei esse perfectiones: Et Desalas 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. num. 104. & sequentibus. Cölemit etiam Henriquez. vñmo de fine hominis cap. 3. num. 2. in glossa, lit. A. Item Franciscus unigra disp. 9. de Trinit. dub. 6. num. 4. vbi ait scientiam diuinam terminari ad contingentia, ita ut terminari ad illa non sit aliquid rationis, aut extrinseca denominatione sumpta ab obiecto, sed intrinseca conueniens Deo ab intrinseco perfectione reali? Et dub. 7. membro 2. num. 2. ait scientiam visionis esse perfectionem realem intrinsecam Dei, quia non respicit contingencia respectu rationis aut extrinseca denominatione, sed alioquin intrinseco, quoniam non diuerso, scilicet, à simplici intelligentia quæ respicit possibilia. De volitione autem simili modo philosophandum est, cohærente loquendo. Granado vero tractat. de voluntate Dei disp. 5. sect. 1. num. 1. referens Caietani sententiam, ait Doctores Recentiores ei subscribere, & reuerat niti firmissimis fundamentis. Suares denique disp. 10. metaphys. sect. 9. num. 11. relatis pro Caietani opinione argumentis, ait illa si puram

tionem naturalem spectemus, ad eò esse dif-
ficilia, quæ hanc sententiam verisimilem &
probabilem reddere videantur. Primum quic-
quid est reale & intrinsecum Deo, est ali-
qua perfectio. Sed actus liber, quæ talis, est a-
liquid reale & intrinsecum Deo: ergo est
aliqua perfectio. Maior est evidens. Minor
patet ex refutatione primæ & secundæ senten-
tia: vbi ostendimus actum liberum, quæ ta-
lem, neque esse ens ratione, neque con-
stitui formaliter per aliquod Deo extrinsecum.
Secundò, omnis actus vitalis est aliqua per-
fectio viuentis: est enim vita in actu secun-
do: vita autem est excellentissima perfectio,
quæ gradus viuentium excedit perfectionem
rerum vitaarentium. Sed omnis actus lib-
er Dei est actus vitalis: est enim intrinse-
cum exercitium Dei se liberè determinan-
tis ad ea quæ vult: Ergo &c. Tertiò, omnis
actus virtutis est aliqua perfectio, non solum
physica, sed etiam moralis ad est, in gene-
re moris, digna laude speciali & amore. Sed
actus Dei liberi sunt actus virtutum eximia-
rum, charitatis, justitiae, misericordia, libe-
ralitatis &c. Ex quidem si actus studiosi huma-
na vel angelicæ voluntatis sunt aliqua per-
fectiones: quælibet magis actus virtutum ex-
cellentissimi diuinæ voluntatis: Iam vero il-
la perfectio est libera. Ergo potuit non esse.
Nam quod est liberè, ita est ut possit
non esse. Quod autem, è contrario, non
potest non esse, necessariò est. Ac nullus
est Theologorum qui negat Deum po-
tuisse non velle creare mundum, Verum
incarnate, homines & Angelos ad vitam
eternam prædestinare, & alia omnia quæ
extra se efficaciter volunt. Atque hinc se-
quitur actum liberum, quæ tam, addere
aliquid intrinsecum, scilicet ratione distin-
ctum: quia impossibile est idem omnino re-
& ratione, esse necessarium, & liberum non
posse non esse, & posse non esse. Confirma-
tur, quia illa denominatio liberè volentis,
quæ est intrinseca, id est, ab aliquo intrin-
secō ipsi Deo, non est à solo actu necessari-
o, qui totus esse potuit in Deo secundum
omnem suam perfectionem necessarium, ab
que tali denominatione. Ergo est ab aliquo
illis superaddito.

Secundus modus explicandi est Quarlis
disp. 30. Metaphys. sect. 9. num. 35. &
sequentibus, affirmantes velle Dei infini-
tum, tam in genere entis, quam in ratio-
ne appetitus, & infinitum non permo-
dum actus primi seu inchoati, sed per mo-
dum perfectissimi & ultimi actus, ex vi sua
simplicissima entitatis, quam totam neces-
ariò habet, sufficere ad attingendum om-
nia obiecta volibilia: vnumquodque se-
cundum rationem & capacitatem suam
necessariò, bona necessaria: liberè, libera.
In eoque, confitente eminentiam huius
mysterij, quod hic actus apprehenditur

ut forma quædam, qua secundum totam
realitatem suam necessariò est in Deo, seu
est ipse Deus: & tamen non necessariò
confert quasi adæquatum effectum for-
malem, quem conferre potest in ordine
ad extrinsecas obiectas: sed est in manu &
potestate Dei, habentis talum actum, per
illum tendere vel non tendere in talia ob-
iecta: & cur tendit, vnde illa amat & vult
& nihil idem plus habet, quam si non a-
maret. Vnde colligit num. 41. alter di-
ci liberum actum Dei, & actum creatæ
voluntatis. Hic enim dicitur liber quantum
ad esse, non vero quantum ad terminari
ad tale obiectum: nam posito quod est,
necessariò ad illud terminatur. At vero
actus liber diuinus non est liber quoad
esse, sed tantum quoad terminari respectu
creaturarum. Nam ille actus secundum
totam suam perfectionem & entitatem, ne-
cessariò est, neque in hoc potest habere
indifferentiam: quia esset magna imper-
fectio. Tamen in terminari habet indif-
ferentiam respectu obiectorum non ne-
cessariorum. Hanc sententiam Quarlis non
aliter probat, quam refutatione aliarum:
& quia hic modus libere volendi est emi-
nenter, & Deo dignior, magisque con-
ducit ad explicandum quomodo liberta
diuina non repugnet eius immutabilitati.
Quomodo in libertas eadem sit absque
vila potentialitate & quomodo in illa sit
distinctio, & oppositio actuum, sine vi-
la contrarietate, vel distinctione. Adic
denique numero 44. idem sentendum
esse proportionaliter de scientia contin-
gente, qua nūllam rem addit ipsi diuinæ
scientiæ sed ipsam scientia quæ necessaria
est in Deo, & quæ necessariò compre-
hendit, hanc vim habet ob suam infi-
nitatem, ut scipia, & sine vlo reali ad-
ditu, omnia infallibiliter repræsenter
qua quæ modo vera, aut intelligibili
sunt.

Eodem accedit, quod ait Didac. Ruis-
disp. 13. de voluntate Dei, lect. 2. vbi docet
1. Volitionem liberam Dei, quoad totam
rationem formalem esse perfectionem
realem, incrementam, & intrinsecam Deo: ne-
que compleri per denominationem extrin-
secam, aut relationem rationis. 2. Illam ta-
men non superaddi; neque detrahi volitioni
necessaria: sed totam realem eius formalis-
tatem manere simpliciter eandem specie &
numero, atque omnino invariata; quan-
tus Deus voluisse aliud, aut non voluisse
quod voluit. 3. Nihilominus in volitione
diuina dari plures quasi partes extensis,
ratione distinctas: qua tam quoad perfe-
ctionem suam non potuerunt à Deo abse-
re: sed si Deus v. g. non voluisse creare
mundum, defuisse Deo sola terminatio suæ
volitionis ad midū: sine qua terminatione no
potest ratione distingui, neq; de Deo affirmari

Bb 4

TIND
US
I
VI
L

volitio aliquius creaturæ: quamvis ad sit tota illius voluntatis perfectio.

19.
Tertius
modus.
Reinaud.
Mārat.

Tertius modus explicandi est Māratij disp. 32. sēc. 3. & Theophili Reynaudi in Theologia naturali dist. 8. q. 2. art. 4. num. 3. & sequentibus, afferentum diuinum velle liberum esse ipsūmet actum Dei, necessarium quoad esse, & liberum tamū quoad terminatū. Quod ex modo istis Paulus liter quam Suares, exponit ab illis in hunc modum: Quid nimurum sicut voluntas creata seipsum liberè determinat ad hunc actum internum & immediatum elicendū, præ alio quemquæ poterat elicere, absque illa mutatione ex parte actus primi: ob solum priuilegium causæ liberæ, quæ eodem modo intrinsecè se habens in actu primo, ponit hunc actum præ alio, prout vult: & licet sit necessaria quoad suū essi: neque enim ipse est liberum ut sit: est tamen libera quoad producere actum vel non produgere: Ita diuinus actus terminatur quidam ad obiecta creata per aliquid sibi intrinsecū: terminatur enim per seipsum: sicut voluntas creata per seipsum actum internum elicit. Hoc tamen intrinsecum, quamvis ut entitatem quædam, non possit non esse: nihilominus idem manens, & necessariò existens, potest non esse terminatum ad hoc obiectum, vel esse terminatum ad illud. Confirmatur, quia liberos diuina haberid quod est perfectionis in libertate creatarum, sublata imperfectione: perfectio vero creatarum libertatis est ut liberè terminetur ad obiecta non necessaria, id est, ne, infinitè perfecta simpliciter, ut est Deus, vel non habentia necessariam connexionem cum objecto, infinitè simpliciter perfecto, sicut habent bona possibilia, ut talia, cum Deo: Quid vero libera sit ad elicendos actus vitales à se distinctos & immanentes, per veram & realem causalitatem, imperfectionis est. Arguit enim limitationem voluntatis, potentialitatem physicam, & compositionem accidentalem ex actu primo & secundo. Quare Dei libertas non in eo consistit, quod possit elicere, vel non elicere actum internum volendi aut nolendi; sed quod per ideam velle essentiale, ac necessarium, possit liberè tendere in hoc eut illud obiectum. Hæ illi breuiter, quæ fuse & clare prosequitur Māratius loco sop̄a citato.

S E C T I O I V.

Expenduntur tres explicandi modi suprā relativi, & probabilior sententia defenditur.

20.
Difficulta-
tes circa
tertii mo-
dum.

In his tribus explicandi modis, multa sunt difficultates. Ac primò contra tertium obiectur, verum quidem esse quod potentia activa non mutetur præcisè eo quod producit suum effectum: quodque intrin-

secè eadem, & eodem modo intrinsecemans in actu primo, aliter tanquam se habeat ad extra, id est, ponat vi sua immensitatē effectum quem ante non ponebat. At velle diuinum liberum, quæ tale forma, liter in actu secundo, non est agere: sicut etiam velle nostrum formaliter in actu secundo, id est, esse volentem actu, non est præcisè elicere voluntatem: sed est per liberum affectum tendere in obiectum, & ad illud terminari. Itaque Deus non tamū facit obiecta, quæ vult efficaciter: sed etiam liberè illa vult: estque illud velle liberum ratione distinctum ab effectione: & Scriptura de illis ut de distinctis loquitur, cum ait Psal. 113. Omnia, quæcumque volunt Dominus fecit, in celo, & in terra. & Eples. 1. Operatur omnia secundum consilium (id est decretum liberum) voluntatis sua. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Nisi enim voluntà libera, & operatio, ratione saltem distinguenterent, sensus primi loci is esset, omnia quæcumque volunt Deus, vogavit: vel, omnia quæcumque fecit Dominus, fecit. In secundo sensus esset, operatur omnia secundum operationem voluntatis sua: vel, vult omnia secundum voluntem liberam voluntatis sua. In tertio diceretur, Sic Deus dedit filium suum unigenitum modo per operationem actus necessarij sive voluntatis, ut filium suum unigenitum daret. Cum igitur voluntas Dei libera non sit formaliter tendentia voluntatis dignæ, aut velle divinitati necessarij, ad creaturam, quasi immensitate illius productio per simplicem viam sive virtutis: sed sit affectus liber internalis, mouens Deum ut producat creaturam, si loquamus de actu libero efficaci circa creaturas producendas, & prior illâ productio: superest explicandum quid sit ille affectus Deum sic mouens. Cumque ille non sit actus voluntatis diuinæ necessarius, præcisè sumptus, quippe qui potuit esse secundum totam suam perfectionem intrinsecam, absque eo quod Deus liberè velleret producere creaturas: queritur quid aliud sit, & quidem intrinsecum & reale? Nam iuxta hanc sententiam actus liberis est adiquat intrinsecus & realis. Quid, inquam, sit illud, quo Deus constitutus liberè voleat formaliter & liberè affectus effectivitatem ad producendas creaturas? Quod quia liberum est, potuit non esse: sive potius, non potuit: non taliter se habere ad creaturas. Cumque sit aliquid Deo intrinsecum & diuinum: sitque actus liberalitatis, aut magnificentiae, vel alterius virtutis, non potest non esse aliqua perfectio cum physica, tum etiam moralis. Quare cum haec explicatio conatur recedere à Caietano, inusta reuoluitur ad scopulum quem vitare contendit.

Contra secundam explicationem, qua Difficultas est Suaris, oppono primò, esse inintelligibile, ut sit quod aliqua forma necessaria insit aliqui secundum